Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26210
Copyright: Admont, Benediktinerstift



quia intelligens gubernacula possidebit. sin aut male. mala
econtrario sibi suisque magna perditionis exaltat. Vnde et sale
mon. mors inquit et uita in manibus linguae. Vitam ergo exaltat.
si bene docet ecclesiam. mortem contra si praue. Agit namque aduer
sus eos qui et uita et scientia destituti docere presumebant. ideoque
magis ecclesiam ledebant. Quod si ut in quibusdam codicibus inuenitur.
legatur et magna exultat. illa nimirum hic exultatio debet in
telligi de qua insequentibus cum per plura linguae uicia enume
rasset aduinxit. nec autem exultatis in superbiis uiris. Omnis ex
ultatio talis maligna est. A qua et mater beati samuelis nos
pia exhortatione compescit dicens. Nolite multiplicare lo
qui sublimia glorantes. Magna autem exaltat lingua quae
ceterorum sensus et uerba despiciens. singulariter se esse sapientem
iactat et facundam. Ecce quantus ignis quam magnam siluam in
cendit. Quantus dicit quam modicus. Denique et codices quidam
sic habent. Ecce modicum ignis. Sicut enim a modica scintilla
ignis excrescens magnam sepe siluam incendit. ita in continen
tia linguae suis nutrita leuitatibus magnam bonorum operum ma
teriem multos uitae spiritalis fructus ubi adtaminauerit perdit.
sed et in numera plerumque optime quae uidebantur locutionis
folia consumit. Et lingua ignis est. uniuersitas iniquitatis.
Ignis est lingua. quia uirtutum siluam male loquendo deuo
rat. Vnde uir sapiens de insipiente. et apertio oris illius in
flammatio est. Cui uidelicet igni perditionis contrarius est ignis
ille salutaris qui ligna. fenum. stipulam uitiorum consumens.
secreta cordis illustrat. quo sancti inflammantur doctores. ut et ip
si ardeant amando. et quasi linguis ignitis accendant